

Hieracium foliis lævibus integerrimis, radicalibus longè petiolatis ellipticis, caulinis amplexicaulibus, hamis obtusis. *Hall. Edit. 2. Num. 47.* Bonum nomen.

Hieracium glabrum succisæ folio integro. *Vaill.* Etiam

In pyrenæis circa urbem *Mont-Louis*, & ad montem *Laurenti*.

α. In pratis, pascuisque; β. ad rivulos frequens. Vidi & etiam varietates cum foliis sagittatis. Alias cum foliis hastato-dentatis; sed hæc ab omnibus Speciebus optimè differt, pilis nigris exstantibus ad pedunculos & calyces. Nescio autem, quo innixus fundamento ad Hier. *paludosum*, Iconem *Gmelini* nonam amandaverit *Clariff. Hallerus?* quam rectius sub Hier. *lyrato* posuit *Clariff. Linnæus*.

3. HIERACIUM, caule folioso hirsuto multifloro, foliis radicalibus lyrato-runcinatis, extimo cordato, caulinis cordato-amplexicaulibus, pedunculisque hirsutis. Tab. XXI. Fig. 3. LAMPSANOIDES.

Hieracium pyrenaicum lampsanæ Dodonæi foliis. *Tournef. 472. Schol. Bot. 189.* Bonum nomen, quoad folia radicalia.

Hieracium pyrenaicum Doronici folio. *Tournef. 472.* Ob folia caulina, atque convenientiam nominis ac loci.

An Hieracium (*lyratum*) caule multifloro, foliis lyratis glabris, calycibus pedunculisque hispida. *Linn. Sp. 1129.?* Exinde

Hieracium caule ramofo, foliis femi-amplexicaulibus teneris oblongis plerumque petiolatis petiolis inferiorum dentatis. *Gmel. pag. 24. Tab. 9.?* Icon à nostra non recedit.

In pyrenæis ad sylvam dictam *de la Matte*, viâ, quâ itur à pago *Guerigut* ad montem *Laurenti*, inter fagos copiosè collegimus Anno 1768. cum Amicis *Bourgat, Rasouls, &c.*

Planta facie *Lampsanæ*; dum caulis accrescit verò facie refert *Doronicum*, cui simillima, adeò ut non nisi florens dignosci queat.

Radix nodosa perennis lacunosa atra, Caulis tricubitalis fermè, lævissimè coloratus striatusque, pilis sparsis. Folia radicalia triuncialia runcinata, utrinque pilosa (non autem ad nervos tantum, ut in Specie *Gmeliniana*) constant primò vaginâ petiolarum cordata amplissima denticulata (A). Secundò, foliolis seu pinnulis utrinque tribus, (B) hastato-triangularibus denticulatis, oppositis, decurrenti-coalitis, pro more *Taraxaci*. Pinna extima (C) maxima uncialis, latiorve, uncias duas longa cordata acuta, sinuato-dentata. Caulina inferiora, mediaque, iis simillima; sed quo summo cauli propiora eo vaginæ ipsorum amplissimæ (D) pinnulis tantum duabus; dein unicâ (E) tandem nullâ. Caulina summa verò cordato-amplexicaulia (F) non rarò circa medium angustata pro more *Doronici* quod *Pardalianches*. Pedunculi axillares multiflori corymbosi subquadriflori, apice pilis exstantibus hirti præprimis non secus ac calyces. Flores magni. Cætera ut in congeneribus.

NOTA. Dubius adhuc sum, an ritè huc pertineat *Synonymia Linnæi, Gmelini, &c.* Utriusque Auctoris Descriptio satis nostræ conveniret. Sed *Gmelini Icon* (quæ sola aptari potest Hieracio *lyrato*) nimis rudis est, quàm ut nostræ sese queat accommodari.

4. HIERACIUM, caule ramofo multifloro, foliis lyratis tomentosissimis, pedunculis unifloris. Tab. XXII. Fig. 3. PRUNELLÆ-FOLIUM.

Hieracium alpinum incanum prunellæ folio. *Bocc. mns. Tab. 24.* Icon non spernenda.

Hieracium foliis pulposis ovato-lanceolatis dentatis petiolatis, petiolis dentatis. *Hall. em. 3^a. n. 241.* Ejusd. *Cat. rar. 981.* Edit. nov. 42.

Hieracium pyrenaicum rotundifolium amplexicaule. *Tournef. 472.* Sic in Herbario *Seguierii*, cujus specimina olim in Horto Parisino lecta. Sed malè.

Leontodon (*dentatum*), foliis ovatis petiolis dentatis, scapo unifloro. *Linn. mant. 107.* Certo. Ipse enim Celeber. Vir sub eo nomine mecum Anno 1769. communicavit.

Et *Crepis* (*pygmaea*), foliis ovatis integris villosis petiolatis, caule procumbente. *Linn. Sp. 1131.* etiam, ex *Synonymo Bocconiano*, Denominatione *Linnæana*; nec-non varietatibus quibusdam nanis.

Olim ab *Hallero* habui, modò majus, modò minus. Anno 1770. in pyrenæis legebatur Amicus *Bourgat* in monte dicto *Cambres dase*, à qua parte urbem *Mont-Louis* prospicit.

Radix perennis ramofo. Caulis purpurascens glaber angulatus ramofo, ramis ad terram deflexis, rursus erectis. Folia omnia similia petiolata, ovato-acuta denticulata, colorata, tomentoso-incana, crassa, interdum cordata, calva, Iconi *Bocconianæ* simillima. In aliis (idque non rarò) speciminibus exactè lyrata, facie *Barbareæ* pinnulis utrinque 5-6. subtriangularibus acutis minimis in petiolum decurrentibus,



FIG. 3. *HIERACIUM lamproanoides.*




FIG. 1. *GERANIUM petraeum.*




FIG. 2. *LAVATERA maritima.*